

erat in Insula Hyensi vicina Hyberniae, si fides habenda Trithemio *lib. III. de Vir. Illustr. O. S. B. c. 267. confer. lib. IV. c. 190.* ubi pariter memorat, quod fuerit vir maximae sanctitatis, qui suo ore & exemplo multos ad Religionem Christianam adduxerit. Noverat id probe Bonifacius, qui eum in finem hunc cum Lullo, Willibaldo, Wunibaldo, Tecla, Lioba, VValtpurgi &c. ex Anglia evocaverat, ut Othlonus in *vita Bonifacii lib. 1. c. 25.* pluribus docet. Ceterum ejus res gestae admodum sunt obscurae, cum hujus aevi monumenta nos quam maxime deficient. Id saltem novimus, eum atque Burchardum interfuisse actui consecratorio, cum Bonifacius in Thuringia anno 741, mense Octobri VWillibaldum crearet Episcopum, teste Anonymo in *vita S. VWillibaldi cap. 29.* Praesens etiam fuit in Concilio Germanico anno sequenti XI. Kal. Maji jussu Carolomanni convocato, cujus Canones apud Othlonum, & in Capitularibus videri possunt. Praeterea etiam VVigberti reliquias Buraburgo Hersfeldiam transtulit, teste Lupo in *vita hujus Sancti c. 24.* Quanti eum fecerit Zacharias Papa, ex variis literis ad ipsum datis constat, quatum nonnullae extant inter Bonifacianas. Lullus etiam Albinum maximi aestimabat, nam elegerat eum suffraganeum seu Coepiscopum suum, sibi que praec aliis eum adesse volebat, cum mortem sibi imminere sentiret, ut Monachus Gemblacensis refert.

§. XV.

Quamdiu Episcopatus huic praefuerit Albinus, haecenus incertum fuit. Sed ni me omnia fallunt, annum ejus emortualem mihi ex Anonymo Gemblacensi eruisse videor, qui eum paulo ante Lullum Antistitem Moguntinum obiisse narrat. Cum enim hic Praesul vires suas in dies deficere animadverteret, abitum meditatur Hersfeldiam, ubi mori & juxta VVigbertum sepeliri jamdudum exoptaverat. Antequam
vero